

## **II. Joannes Sinapius quae scripsit de Suinfurto ad Sebastian Munsterum.** (MSH, S. 370-373)

(Aus Münsters Cosmographie editio latina pag. 809-811 der Ausgabe von 1572. Diese Schrift war hier vollständig wiederzugeben wegen der vielfachen Beziehungen der alten Schweinfurter Chronik zu ihr. Vergl. oben S. 25, 26.)

Joannes Sinapius, medicus praesulis ac ducis Ostrofranciae, clarissimo uiro D. Sebastiano Munstero, professori publico in Gymnasio Basiliensi, amico suo semper honorando, Salutem.

Iterum totum esse te in ornanda illustrandaque Germania nostra intelligo, uir clariissimae, indefessoque studio perquirere quicquid ueteris historiae hucusque latet, eaque de causa nuper ad te nonnullas etiam status Vuirceburgensis antiquitates transmissas esse. Quod ubi resciui, non potui facere, quin hanc tuam industriam, sedulitatem ac pietatem ualde collaudarem et affectu simili erga meam patriam mouerer, in quam velut postliminio tandem ex Italia redij, regionem amoenissimam illi, sicut Vlysses Ithacae suae Circen et Calypso, postponens. Est autem patria mihi non ignota, opinor, tibi ciuitas imperij in media Ostrofrancia, sicut umbilicus (ut de Delphis in Graecia Pindarus canit), posita, nomen, ut Beatus Rhenanus opinatur, a Sueorum vado sortita, Sueuofordia, uulgo Suuinford appellata, quae annis abhinc sexcentis Comites ac deinde Marchiones proprios habuit, qui postea Duces Sueorum facti sunt, quorum aliquot nomina ex uetustis historijs collecta tibi transmitto; tandem in potestatem Eistetensis ecclesiae peruenit per Eberhardum Comitem a Suuinford, episcopum Eistetensem, et inde per commutationem ciuitatis Gredingen (nunc Eistetensis domini, tunc autem imperij) peruenit ad Imperium (Siehe dagegen oben S. 6), sub cuius aquila nunc etiam per Palatinum electorem protegitur. Viros eruditos multos protulit, ex quibus minime obscuri sunt: Conradus Celtes (Er war geboren zu Wipfeld bei Schweinfurt.), pri [S. 371] mus poëta laureatus in Germania, et Cuspinianus, historiographus et orator quondam celebris Caesaris Maximiliani; denique abbates, praelatos, doctores innumeros hodie quoque in totam uiciniam et in exteris dat nationes. Quoties autem hinc inde oppignorata fuerit, et quam insigne monasterium olim habuerit, cuius hodie nullam extat uestigium, ex schedis adjunctis cognosces. Has tanquam *φιλοπατρις* idcirco ad te mitto, ut si quid forte lucubrationum de Ostrofrancia nostra siue Francia orientali nunc inter manus habes, ne silentio tam ueterem ac florentem rempublicam pretereas. Bene uale ac te bonis studijs quam diutissime incolumem serua. Datum Vuirceburi ex aula principis, ex qua te diligenter saluere iubent nobilissimus uir Joannes Zobelus et Theobaldus a secretis. Iterum vale! XI Calend. Quintilis Anno M.D.XLIX.

Antiquitates ciuitatis Suuinfordensis. (Verg. Hierzu Urk. Num. 14. 8. 10. 9.)

Eberhardus uicesimus Aistetensis episcopus, frater, ut quidam autumant, uel, ut alij, filius Ottonis Comitis Suuinfurdensis, facti ducis Sueuorum (Eberhard war Ottos Enkel. S. oben S. 36 not.), praefuit 13 annis. Ab illo et suis progenitoribus ciuitas Suuinfurdensis cum accessorio ad episcopatum Aistetensem peruenit. Obiit anno Christi 1112. 6 Januarij. Marchio Henricus longa aegritudine nexatus 14 Calend. Octob., orientalium Francorum decus, obiit et in ciuitate sua Suuinford in septrionali parte monasterij sepelitur, anno Domini 1117 (So steht hier statt 1017. Er war der Vater des Herzogs Otto. Vergl. Urk. Num. 9). Anno 1047. Otto dux Sueuorum obiit. In cuius locum Otto marchio de Suuinford surrogatur. Otto de Suuinford, dux Sueuorum, 4 Calend. Octobris obiit et in Suuinford cum parentibus suis sepultus est anno 1057. Anno 1058 memorati Ottonis soro Gutha, ducissa Bohemiae, obiit 4 Nonas Augusti, Pragae sepulta. Haec historia scripta.

Ex terito libro Beati Rhenani de rebus Germanicis, ubi de Francofordia agit. Vnde nomen habeat Suuinfordia?

Hunc traiectum Moeni fluminis Franci possidebant, a quo oppido nomen datum per eam occasionem nato. Sed cogitandum, an in huius quoque ripa amnis oppida sita Suuinfordia et Ochsenfordia a Sueis et Fosis populis potius sint dicta, quam a significatarum bestiarum transitu uel conditorum cognominibus.

Monasterium ordinis S. Benedicti in Suuinford commutatum in ordinem Teutonicorum anno 1283. mense Martio (Siehe Urk. num. 27).

Nos frater Matthias praceptor Alemanniae, gerens uices Magistri generaliter domus hospitalis S. Mariae Jerosolymitanorum, et frater Dietricus, magnus praceptor Acconensis, frater Cunradus de Fuchuang, prouincialis Franconiae, necnon frater Hermannus de Munrichstat, commendator et conuentus in Suuinford eiusdem ordinis, tenore p[ro]ae [S. 372] sentium confitemur et ad notitiam tam praesentium, quam futurorum cupimus peruenire, quod, cum monasterium in Suuinford Herbipolis diocesis, ecclesiae Eistetensi in temporalibus pleno iure subiectum, longis retroactis temporibus sub regula Beati Benedicti minus prouide regeretur et ex magna parte cultus diuinus diminutus esset ibidem, aedificijs plerunque dilapsis et ruinam minantibus, praedijs quoque cum alijs attinentijs passim in negligentiam labentibus, eiusdem monasterij Deo dicati subuersio probabiliter timebatur: Reuerendus igitur pater et dominus Reinboto episcopus Eistetensis, ad quem, sicut praedictum est, fundus ipsius monasterij cum suis attinentijs pleno iure proprietatis spectabat, de consilio capitulj Eistetensis, prouide cogitans, cauere decreuit, ne locum semel Deo dicatum dilabi contingeret et alijs, quam diuinis usibus mancipari; item Reuerendus pater et dominus Reinboto episcopus et capitulum Eistetense mutata religione loci praenominatum monasterium incorporandum ordini nostro nobis dederunt de communi consensu et unanimi uoluntate, ea uidelicet conditione, ut antiqua duntaxat eiusdem monasterij praedia nobis deseruant, mancipijs et alijs feudis, quae dicuntur Manlehen, que uel episcopi Eistenses uel abbates saepedicti monasterij conferre consueverant, saluis per omnia ac Eistetensi ecclesiae reseruans etc. Actum et datum anno Domini M.CC.LXXXIII. mense Martij.

### Succincta descriptio ciuitatis Suuinfordensis.

Haec civitas sita est in ripa Moeni fluuij in loco fertilissimo, ubi uineae plantantur, agri seruntur, foenum et ligna uberrime proueniunt. Cuspinianus ibi natus scribit in suis Chronicis de ea in hunc modum: Haec urbs nunc imperialis est, olim Ottonis, ducis de Suuinfort, fuit haereditaria, qui sub Henrico tertio degebat, post Caesari Romano cessit, libera facta. Nostro aeuo aliam, quam olim, occupat aream, translata scilicet ad iactum bombardae a ueteri situ, qui et in hunc usque diem uocatur uetus ciuitas, etiamsi nullas habeat aedes, sed uineas tantum. Habet insigne forum frumentarium, uicinis oppidis et uicis sua ibi distrahentibus commodissimum. Hinc enim per fluum frumentum ab emporibus in alia loca, quo volunt, facile abducitur. Quin et molas habet frumentarias toti regioni inseruentes, fluuio ibi natura et arte in uarios usus et necessaria obsequia instituto. Grauata fuit haec ciuitas longo tempore e regibus et imperatoribus uariis oppignorationibus, ex quibus ipsa se subinde redemit atque imperio rursum subiecit, magnas passa expensas, unde in hunc usque diem se ad plenum nondum extricauit. Nam (Vergl. zum Folgenden Urk. num. 34. 37. 47. mit 54. 86. 137. mit 135.) anno Christi 1300 oppignorauit rex Albertus tam ciuitatem, quam burgum episcopatu[m] Virceburgensi. Deinde Henricus septimus, Romanorum rex, oppignorauit eam anno 1310 Bertholdo Comiti ab Hennenberg. Tertio confirmauit rex Ludovicus literas hypothecationis,

quas memoratus rex dederat Comiti Bertholdo et insuper ciuitatem ipsam plus oppignorauit una cum burgo, foro, praefectura et reliquis iuribus. Quarto subsequentes comitis ab Hennenberg uendiderunt median partem iurisdictionis, quam habuerunt in ciuitate, episcopatui Vuircebburgensi, dantes scilicet illi median partem omnium commodorum, quam habuerunt a burgo, marca, praefec [S. 373] tura, iudicio, uillis, obuentionibus, prouentibus, iuribus, consuetudinibus, teloneis, decimis, redditibus atque aliis iuribus ab imperio concessis. Quinto Venceslaus hoc maximum grauamen adhuc plus auxit, accipiens scilicet nouae pecuniae summam ab episcopatu Vuircebburgensi atque arctius eidem Suuinfordam subjiciens et priores obligationis liters de nouo confirmans. In summa, haec ciuitas centum fere annis agitata et uexata fuit his oppignorationum grauaminibus, nec in hunc usque diem ab eisdem omnino libera est, ut iam quoque diximus. Anno 1553 urbs haec a Marchione Alberto Brandenburensi ccupata omnisque circum regio praedationibus et incendiis deuastata, a militibus Marchionis in annum 1554 custodita, licet ab exercitu Principum nonnullorum obsessa oppugnetur.